



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitæte ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Propositiones tam affirmantes, quam negantes, conflatae ex terminis
diuinis possunt esse verae. Cap. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

TRACTATVS SEPTIMVS, DE VERI- TATE PRÆDICA- TIONVM IN TER- minis diuinis.

S. Thom.



VERITAS propositionum, ut autor est Diuus Thomas in 3. distin. 11. quæst. vnica, art. 4. ad 6. nititur vnitati, vel identitate extremorum: quod de veritate affirmantium est intelligendum: nam veritas negantium fundatur in separatione, vel distinctione eorundem, siue quo ad rem ipsam, siue quo ad modum significandi: idcirco, cum non sit alius locus in vniuersa Theologia hac de re agendi, cōsentaneum duxi post tractatus de vnitati, identitate, & distinctione perfectionum diuinarum agere, de veritate propositionum in terminis diuinis absolutis, dicturus in materia de Trinitate, de ijs, quæ constant relationibus. Qua de re Theologi multa dicunt, cum disputant de identitate, ac distinctione attributorum inter se, & ab essentia, itemque de distinctione relationum diuinarum à perfectionibus absolutis. In primis ergo explicabo fieri rectè possint propositiones ex terminis diuinis: deinde verò, quoniam etiā quoad veritatem propositionum constantium terminis creatis, est controuersia inter Autores, proponā aliquot regulas ad id dijudicandum: denique eas ad institutum accommodabo, & exponam varios modos enunciationum, quibus utimur ad explicanda sensa animi nostri de rebus diuinis.

Propositiones tam affirmantes,
quàm negantes, constatae ex
terminis diuinis pos-
sunt esse veræ.

CAPVT I.

I. SI de Deo nihil verè enunciari potest, non est opus explicare cur, aut quomodo prædicationes in terminis diuinis quædam sint veræ, quædam falsæ. Non posse verò constari enunciationes cōstantes utroque termino diuino, probatur, quoniam dabuntur duæ contradictoriæ simul falsæ: quod est absurdum; quare impossibile est, ut in terminis diuinis fiant prædicationes. Sequela maioris ostenditur, quoniam ad veritatem negatiuæ requiritur diuersitas,

atque diuisio: ad veritatem verò affirmatiuæ requiritur compositio: neutra verò datur in diuinis propter omnimodam simplicitatem: ergò utraq; propositio erit falsa. Maior quoad vtramque partem ostenditur: nam, ut ait Aristoteles, libr. 4. *Aristotel.* Metaphy. t. 27. ab eo, quod res est, aut non est, propositio est vera, vel falsa: at per affirmationem prædicatum cōponitur cum subiecto, per negationem verò diuiditur: ideoque propositio affirmatiua dicitur à Dialecticis compositio, negatiua autem diuisio: quare metali compositioni debet respondere compositio in re ipsa, diuisioni verò diuisio. Secundò, ut docet *Comment.* lib. 12. Met. com. 39. in omni enunciatione debet interuenire vnitatis, & pluralitatis: vnitatis, quæ significatur per copulam, pluralitatis, quæ importatur per subiectum & prædicatum ad inuicem cōparata: omnis enim comparatio supponit distinctionem inter extrema comparata. In diuinis autem nō est vlla pluralitas, sed summa simplicitas: ergò nō possunt fieri enunciationes circa diuina. In particulari verò non posse fieri affirmationes, probatur ex Dionys. c. 2. de Cælesti hierarchia, asserente *Magn. Dion.* negationes in diuinis esse veras, affirmationes autem incomparatas: itemque ex ratione, quoniam affirmatio, quæ enunciat aliquid inuoluens imperfectionem repugnantem subiecto, est falsa: omnis autem conceptus habens se ex parte prædicati, quod tribuimus Deo, inuoluit imperfectiones ipsi repugnantes, quoniam perfectiones, quas tribuimus Deo, apprehendimus eo modo, quo creatas: hæc verò nō solum ex modo significandi, sed ex parte obiecti significati inuoluunt imperfectionem: quare omnis affirmatio in terminis diuinis est falsa. Denique Deus est forma sine subiecto, ut ait Boetius, in lib. 1. de Trinitate, ubi vero non est subiectum, non est prædicatio: quia hæc dicit inherentiam formæ significatæ per prædicatum ad rem significatam per subiectum.

Hanc difficultatem tractant *Alensis* 1. part. quæst. 48. m. 4. artic. 2. in solutionibus argumentorum, & quæst. 51. m. 1. art. 2. Albertus in 1. dist. 4. art. 8. & dist. 8. art. 4. Sanctus Thomas lib. 1. contra Gentiles cap. 36. cum Ferrariensi, ibidem 1. part. quæst. 18. artic. 12. cum Caietano, & in 1. dist. 4. quæst. 2. art. 1. Bonauent. d. 34. q. 2. Aegidius dist. 4. 3. part. q. 1. Henricus in sum. art. 74. q. 1. & Heruæus in 1. d. 4. q. 2. *Alensis.* *Albertus.* *S. Thom.* *Ferrariens.* *Caietan.* *Bonauent.* *Aegid.* *Henricus.* *Heruæus.* §. *Quantum ad primum:* & omnes vnico cōsensu asserunt posse nos diuina intelligere, & enunciare componendo, ac diuidendo.

Quæ

Quæ fuit etiam sententia Auerr. relati ab Henrico: Cuius fundamētum est, quoniā, ut ait Philosophus, quia res est, vel non est, propositio est vera, vel falsa: sed obiectum enunciationis constantis terminis diuinis, ita se habet in re, sicut asseritur per enunciationem: ergo propositiones sunt veræ. Secundo homines per lumen rationis, & per doctrinam fidei assequuntur certā, veramq; notitiam rerū diuinarum: nō habent autē, nisi formare possent veras enunciationes: quandiu enim ignoratur veritas, apprehensio simplex vix discerni potest ab apprehensione figmenti: & ut dictum est lib. I. tract. 4. cap. 5. Catholicus non differt ab hæretico, vel pagano secundum apprehensiones, sed secundum enunciationes. Denique in sacris literis reuelatæ sunt plurimæ propositiones de rebus diuinis, & ad eas credendas inditum lumen supernaturale fidei: Deus autem non reuelat propositiones falsas, nec per lumen supernaturaliter infusum inclinat ad assensum ipsarum: ergo propositiones in terminis diuinis possunt esse veræ: neque ad hoc probandum longo discursu opus est; solummodo oportet per diuersa enunciationum genera discurrere, & in singulis proprium prædicandi modum explicare.

III. Nomina verò diuina componi in enunciatione possunt, cum nominibus creaturarū, aut negationum, aut respectuū rationis, aut deniq; perfectionum diuinarum: si cum nominibus creaturarū componantur, possunt coalescere in enunciationem negatiuam veram: nam inter Deum, & creaturas est vera diuisio, & consequenter vera negatio vnius de altero: quod est intelligendum, quando nomina creaturarū sumuntur in propria significatione: si enim in metaphorica sumantur, erit vera enunciatio affirmatiua, non autem negatiua, ut patet in his: *Iratus est furore Dominus in populum suum.* Psalm. 105. *Penituit eum, quod fecisset hominem.* Genes. 6. & alijs, in quibus nō affirmatur, ut negatur creatura de Deo, sed id, secundum quod Deus est proportionaliter similis creaturæ: si verò comparantur cum nominibus negatiuis, vera erit enunciatio affirmatiua, si forma negata inuoluat imperfectionem; falsa vero, si sit perfectio simpliciter. Primum patet, cum dicitur, *Deus est immensus, & infinitus*; nam, quia finis, & mensura passiva non est perfectio simpliciter, sed imperfectionem inuoluit, verè negatio ipsorū prædicatur de Deo; secundum verò constat, cum dicitur, *Deus est imperfectus, aut inconstans*: nam, quia constantia est perfectio in particulari, ne-

Gillij comment. Theol.

gatio ipsius falso affirmatur de Deo, sicut & negatio perfectionis in communi. Quod verò non repugnet cōpositio mentalis, & vocalis ex termino altero positiuo ex parte Dei, altero negatiuo; ratio est in promptu: quoniam cōpositio per copulam connectentē prædicatum subiecto in his terminis, non requirit compositionem realem ex parte obiecti: ut patet etiam in propositionibus cōstantibus subiecto creato, & prædicato negatiuo: ad quarū veritatem fat est remotio formæ negatæ à subiecto. Eadem quoque ratio est de propositionibus constantibus prædicato relatiuo: nam, cum respectus rationis non insint in rebus ipsis, sed in intellectu concipiente, ut verè de subiecto affirmantur, non exigunt, aut inducunt vllam compositionem actua-lem cum subiecto.

Si verò propositio constet utroq; termino significante obiectū diuinū, adhuc opus est distinctione: nam, vel termini significant res suapte natura distinctas, vel easdē à parte rei, & sola ratione distinctas: si significant obiecta distincta, nulla est difficultas: fiunt enim ex his terminis propositiones negatiuæ veræ, fundatæ in ipsa distinctione actuali obiectorum: ut, cum dicimus, *Pater non est filius, generatio Verbi diuini non est spiratio passiva*: nam, quamuis hæc omnia sint vnū in essentia, diuiduntur tamen, ac distinguuntur abinuicem secundū proprias rationes formales: quam diuisionem obiectiuā significat diuisio mentalis, & vocalis: at, si loquamur de ijs, quæ nullo modo distinguuntur ex natura rei, aut cōsiderare possumus ea, prout significantur nominibus synonymis, aut quatenus concipiuntur sub diuersis rationibus, & significantur nominibus non synonymis; si priore modo loquamur, certissimū est fieri in diuinis veras affirmationes eodem modo, quo in terminis creatis; ut cum dicimus, *Deus est Deus; Paternitas est Paternitas*: nam ad veritatem propositionū constantium terminis creatis, non requiritur ex natura rei vlla cōpositio, aut distinctio inter prædicatum & subiectum propositionis identicæ: quare neque in diuinis requiritur. Quapropter non est audiendus Albertus Magnus in I. d. 8. art. 4. ad tertium, cum ait in hac propositione, *Homo est Homo*, notari maiorem diuersitatem, quam in hac, *Deus est sapiens*: quandoquidem in illa, *Homo est Homo*: notatur diuersitas eius, quod est, & ipsius esse: in hac autem, *Deus est sapiens*: nulla omnino diuersitas actualis interuenit: aliud enim est loqui de diuersitate, quæ fortassis interuenit inter ho-

IV.

Albertus.

Yyy 2

minem

minem, & esse ipsius, aliud verò de modo significandi propositionū: ex parte enim modi solū identitas prædicati cum subiecto, siue ea sit per compositionē, siue per omnimodā vnitatem, & indistinctionē: in propositionibus autē, in quib⁹ est distinctio rationis formalis subiecti, ac prædicati, ex modo ipso significandi inuoluitur aliqua cōpositio; quia intellectus cōcipere nequit plura diuersa secundū rationes formales esse idē, nisi per modū aliquem cōpositionis mentalis: atq; adeo, cum termini illius propositionis, *Deus est sapiens*, significet rationes formales distinctas ex modo enunciādi, inuoluitur aliquis modus cōpositionis, qui non importatur per illam; *Homo est Homo*, aut per hanc, *Deus est Deus*; per has enim importatur omnimoda identitas vnius extremi cum altero: per illam vero prædicatum concipitur quasi forma subiecti, cui tribuitur.

V.

Præcipua difficultas versatur circa propositiones constantes terminis positius significantibus perfectiones absolutas, quæ sunt idē ex natura rei, differunt tamen sub diuersis conceptibus formalibus, & rationibus obiectiuis virtualiter distinctis. De his enim propositionib. loquitur Magnus Dionysius, cum ait, affirmationes in diuinis esse incompactas: quod dictum dupliciter intelligi potest, vel propter modum concipiendi ipsos terminos simplices, qui est imperfectus; & hoc potissimū videtur respexisse Magnus Dionysius: de quo sensu dicendum est in tractatu de nominibus Dei: vel intelligitur propter modū ipsum notitiæ cōplexæ, iuxta quē etiā Doctores citati illū intelligūt: quod pertinet ad præsens institutū. Pro huius dubij declaratione est supponendū ex Commētatore li. 12. Metaphy. com. 39. cuius doctrinā sequuntur Albert. S. Thom. AEgid. & Henr. vbi suprà, in notitia cōplexa ex proprio ipsius modo debere interuenire pluralitatem, & insuper vnitatē: nam, cum sit quædā cōpositio mentalis, & omnis cōpositio terminetur ad vnum ex multis, necessariū est, vt intellectus componens concipiat extrema per modum pluriū vnibiliū, per copulam verbalem. Sed hæc pluralitas, & vnitās, vt rectē notauit Ferrarief. c. cit. §. *Hic duo sunt*, dupliciter se habere potest ad enunciationē mentālē; vel cōcomitanter solū ex parte intellectus, vel significatiue ex parte obiecti, ita vt mentaliter enuncians significet obiecta per terminos significata esse actu plurā inter se vnita, vel ab inuicē diuisa. Si pluralitas significatiue intercedat, omnis propositio cōflata ex terminis diuinis erit

Magn. Diony.

Auerroes.
Albertus.
Ægid.
Henricus.

Ferrarief.

falsa: Patet, quoniam non respondet in re ipsa vlla pluralitas, aut vnitās per compositionem resultans. Si verò priori modo se habeat, poterit esse vera: nam modus imperfectus habens se tantum ex parte intellectus, non tollit veritatem propositionis, S. Thom. aut cognitionis, vt notat D. Thomas, & Bonauen. vbi suprà: qui vtitur exēplo petito à Mathematicis: nam vera est conceptio, qua Mathematicus concipit quantitatem cum abstractione à materia sensibili: cum enim abstractio sit solum ex parte intellectus, non verò in re ipsa, nō est falsus conceptus, quo quantitas ita apprehēditur: eodem modo si pluralitas, & cōpositio enunciationū mentaliū non significetur ex parte obiecti, sed solum se habeat ex parte nostri modi imperfectē cōcipiendi, non erit falsitas in enunciationibus conflatis ex terminis diuinis. Obiicit Albert. vbi suprà, esse disparē rationē, quoniam quantitas nō habet rationē diffinitiuā à materia sensibili, siue naturali subiecto; & ideo concipi potest cū abstractione ab illo: habet tamē in re obiectum suprà quod cadit conceptio mētis: at verò in diuinis non datur aliquid respōdens cōpositioni mentali, & proinde semper propositio affirmatiua erit falsa.

VI.

Dicendum est tamen, modum pluralitatis, & cōpositionis habere se solum ex parte intellectus nostri. Ita docent Autores citati, & sumitur ex Aristotele, & Auerr. l. 3. de anima c. 6. t. 21. afferentibus actionē intellectus cōponentis esse simile illi, quam Empedocles tribuit amicitia inter res sapte natura similes, sed distinctas congreganti, & in vnum redigenti: fingeat enim fuisse multa capita seorsim posita, multa colla, & similia membra corporis humani, quæ amicitia adaptauit, & in vnum corpus redegit. Eodē modo obiecta intellecta fuerūt primo separata in mente secundū esse intellectum; deinde verò actione eiusdem cōposita. Itaque cōpositio per se primo terminatur ad rationes ipsas intellectas, quæ sunt in animo: & quoties ex parte obiecti fuerit fundamentū sufficiens terminandi diuersos cōceptus nō synonymos, est sufficiens pluralitas ex parte conceptus obiectiui: propter virtutem distinctionem potest multipliciter apprehēdi: sicut e contrario, vt rectē obseruat Henric. vbi suprà in solutione primi argumenti, res suapte natura cōposita, vt homo, apprehendi potest vnico simplici conceptu. Ex quo perspicuē patet pluralitatē, quam exigit cōpositio mētalis, solum se habere ex parte modi concipiendi: quia scilicet intellectus noster simplicia intelligit, nō quidē esse actu plurā; hæc

Aristot.
Auer.

Henric.

ra; hæc enim intellectio esset fallā, & dif-
formis obiecto; sed ad eum modū, quo in-
telligit plura, hoc est per plures conceptus
nō synonymos. Eodemque modo nequa-
quā intelligit esse cōposita, sed intelligens
illa, habet se eo modo, quo se habet, cū in-
telligit cōposita: nimirū coniūgendo vnū
conceptū alteri: qua mentali cōiunctione
nō significatur obiecta, significata per ter-
minos, esse actu cōposita, sed esse vnū: cū
vero modus cognoscēdi imperfectus non
refundat eandē imperfectionē in obiectū
cognitū, apertē sequitur per mētales affir-
mationes nihil detrahi simplicitati, & vni-
tati diuinā: & hoc est, q̄ ait D. Thō. citato
loco cōtra Gētes, sc. intellectū non tribue-
re rei intellectū modū, quo intelligit: nam
licet lapidem intelligat immaterialiter, nō
proinde tribuit illi immaterialitatem: ita,
quamuis Deum intelligat cōponendo, nō
propterea tribuit illi cōpositionem: quod
dictum intelligi debet cum Ferrarienti ad
eundem locum, de modo qui se habet ex
parte ipsius intellectus.

VII. Non est tamen hæc pluralitas, & cōposi-
tio mentalis vana, & sine fundamento: vt
rectē docet D. Thom. vbi suprà: vtriq; .n.
respondet aliquid in obiecto, cui nititur:
nam pluralitati actuali conceptuū prædi-
cati & subiecti respondet distinctio, siue
multiplicitas virtualis in essentia: vt notat
A. Egid. & Henr. vbi suprà, in solutione ad
secundū: compositioni verò respōdet vni-
tas ex parte obiecti, vt tradunt Albertus,
D. Thom. A. Egid. & Henr. vbi suprà, quā
doctrinā prius tradiderat Cōmentat. vt re-
ferunt A. Egid. & Henric. loco citato. ait
enim, cū intellectus concipit aliquā pro-
positionē de Deo, intelligere secundū af-
firmationē, quatenus accipit duo, quorū
proportio ad inuicem est, sicut proportio
predicati ad subiectum, & ex eis componit
propositionē categoricā: & nullam dif-
ferentiam intelligit esse inter ea, nisi secun-
dum acceptionē, quia idem accipit, vt dis-
positum, ac disponens, hoc est vt subiectū,
& proprietatem: intellectus enim potest
intelligere veritatem per modum cōposi-
tionis, ex his ambobus secundū similitu-
dinem ad propositionē categoricā in re-
bus cōpositis. Ex quibus elucet, solum re-
quirere compositionem ex parte intelle-
ctus, quia eodem modo intelligit diuina,
atque simplicia, quo creatā, atque compo-
sita. Quoniam verò ibidem ait, terminos
simplices non esse synonymos, necessario
agnoscit virtualē multiplicatē ex parte
obiecti, quæ est fundamentum multiplici-
tatis actualis conceptionum mentaliū. Ex

quo sumitur respōsio ad obiectionem Al-
berti: nam sicut diffinitioni Mathematicæ
respondet quidditas obiectiua quantitatis,
sic etiam apprehensionibus diuersis intel-
lectus nostri respondet multiplicitas obie-
ctiua virtualis, compositioni verò re-
spondet vnitās obiectiua realis.

Ex his quoq; diluuntur facillē argumenta
initio proposita. Ad primum neganda est
sequela. Ad cuius confirmationē neganda
est posterior pars maioris: vt enim ex di-
ctis liquet, ad veritatem propositionis af-
firmatiuæ minimē requiritur compositio
obiectiua extremorū actualis, sed sufficit
vnitas, vel identitas, vt ait D. Thomas vbi
suprà, & reliqui cōmuniter. Ad autoritatē
Philosophi, qua oppositum ostenditur, re-
spōdeo sensum eius esse, propositionē esse
verā ex eo, quod res est, sicut dicitur esse,
& nō est, sicut dicitur nō esse: siue ex eo, q̄
dictio est cōformis dicto, vt explicat Hen-

VIII.

ric. vbi suprà, in corpore: itaq; ad verita-
tem requiritur conformitas enunciationis
in genere signi, non verò in genere rei ad
obiectum significatū: at verò, qui enūciat,
non asserit rem esse compositā, sed v. g.
hominem esse iustū, aut Deum sapientem,
quamuis hoc asserere nequeat aliter, quam
cōponendo vnum cōceptum alteri: Et id-
circo, si obiectum sit cōforme enunciatio-
ni, quatenus significatiua est, quamuis non
sit quoad modū compositionis habentis se
ex parte modi intelligendi, propositio nō
definet esse vera: obiecta verò propositio-
nū affirmatiuarū, quibus perfectiones sim-
pliciter enunciantur de Deo, cōfirmantur
illis in genere obiecti, quatenus signa sunt,
non verò in genere rei, quatenus cōplexæ
sunt. Ad secundum respōdeo, vnitatem &
pluralitatem, de qua loquitur Auerr. in ar-
gumento citatus, interuenire per se primo,
ac formaliter in ipsa enunciatione: & hæc
de facto interuenit in propositionibus, quæ
sunt in terminis diuinis: in obiecto verò
minimē requiri, vt vtrāq; interueniat for-
maliter, sed vnitas quidem semper est for-
maliter, nihil enim verè de aliquo affir-
matur, nisi habeant modū aliquem vnita-
tis: non tamen necessariò requiritur vnitas
cōpositionis, sed sat est vnitas identitatis:
pluralitas verò sufficit, vt sit virtualiter ad
modum explicatum. Ad dictum Dionys.
quo impugnatur veritas affirmatiuarum,
respondet Albert. ar. 8. citato ad secundū.
S. Thom. in 1. d. 4. q. 2. art. 1. ad 2. Bonauent.
vbi suprà ad secundū. Henric. art. citato,
q. 2. Richard. in 1. d. 3. ar. 2. q. 1. ad secundū:
In primis id intelligi, nō propter specialem
repugnantiam notitiæ complexæ, sed quia

Albertus.

S. Thom.

Bonauent.

Henricus.

Richardus.

Alensis.
Richard.

termini simplices, quibus diuina significamus, non exprimitur illa sicuti sunt: deinde, si ad ipsas propositiones attendamus, intelligendum ex parte compositionis, quæ inuoluitur, non ex parte identitatis, quæ significatur, ut notat Alensis 1. p. q. 51. m. 2. & Richard. ubi proxime. Ad rationem responderetur, licet ut plurimum diuina ad modum creatorum concipiamus, posse tamen concipi rationes perfectionis simpliciter in summa præcisione ab omni imperfectione, & hoc modo de Deo affirmari. Ad ultimum responderetur non repugnare, ut forma sine subiecto inhesionis sit subiectum prædicationis: nam de huius ratione non est, ut prædicatum ipsi propriè, inhaereat; sed ut modo aliquo verè conueniat per vnitatem, vel identitatem, ut explicat Diuus Thomas, & alij.

De Deo dicuntur nomina concreta abstracta, & denominatiua.

CAPUT II.

I.
S. Thom.

Superiore capite dictum est, posse diuina complexa à nobis concipi, & enunciari, sed quoniam ut notat D. Thom. 1. p. q. 39. ar. 3. & 4. veritas propositionum, non solum pendet ex rebus ipsis, sed ex modo concipiendi, & significandi nostro, res autem significamus nominibus abstractis, concretis, & denominatiuis: non abs re erit explicare, an omnibus uti liceat in prædicationibus diuinis: quod fiet hoc capite: deinde in sequentibus explicabitur utrum, & quomodo singula de se, vel alijs prædicentur. Dicitur autem nomen abstractum ex eo, quod significat obiectum sub abstractione ab alijs, cum quibus est aptum reperiri, vel de facto reperitur: nam, cum nulla res abstrahi possit ab his, quæ sunt de ratione eius intrinseca, fit ut abstractio solum fiat ab illis, cum quibus forma abstracta accidentaliter coniungitur: & ideo dicitur abstractum, quoniam ut notat Capreol. in 1. d. 8. q. 1. ar. 1. post primam conclusionem in tertia ratione D. Thomæ, ab ijs, quæ per accidens conueniunt, extractum est. Cum verò sint plura genera accidentium, sunt quoque plures modi abstractionis: duo tamen præcipui communiter traduntur: nempe abstractio ab inferioribus, quæ est propria rerum vniuersalium, quando concipiuntur præcisè à singulis: & abstractio à subiecto, siue supposito per se subsistente. Prior abstractio non pertinet ad præsens institutum, non enim nomina denominantur abstracta eo, quod significant obiectum abstractum ab inferioribus, homo enim significat solum hominem in communi, nec tamen est nomen abstractum: contra verò diuinitas est nomen abstractum, & significat naturam singularem. Posterior

Capreol.

verò abstractio est, à qua nomina dicuntur abstracta, & contraponuntur concretis, ac diuidunt omne genus nominum. Concreta verò, ut notat idem Capreol. dicuntur quoniam sunt coniuncta cum alijs secundum rem, vel rationem: hoc est quia significant formam copulatam cum ijs, quæ non pertinent intrinsece ad eius rationem formalem: propriè tamen loquendo nomen concretum est, quod significat formam, vel naturam quasi copositam cum habente ipsam: unde S. Thom. in 1. d. 22. q. vn. ar. 1. ad 3. & S. Bonauent. d. 4. art. 1. q. 1. hoc statuunt discrimen inter nomen concretum, & abstractum: quod abstractum imponitur formæ, & à forma, concretum verò imponitur quiddam à forma, non tamen formæ, sed supposito, siue habenti formam, quasi significet compositam formam cum subiecto ipsius: ex quo Dialectici aiunt nomen concretum habere compositum significandi modum, abstractum verò simplicem.

Ex dictis eliciuntur proprietates nominis abstracti, & concreti. Prima, & maxime propria ratio nominis abstracti est, ut significet formam præcisam à subsistente: & quoniam subsistentia sunt coposita apud nos, abstracta habent simpliciter significandi modum. Quoniam verò simplicia apud nos habent rationem partis, fit ut abstracta significet per modum partis, & formæ, ut ait S. Thom. in 1. d. 33. qu. vn. art. 2. in fine corporis: rursum quoniam forma non est, quod est, sed quo aliquid est, abstracta significant suum obiectum, ut id, quo aliquid est, ut docet D. Thom. 1. cōtra Gentes c. 30. & 1. p. q. 13. art. 1. ad secundum. Bonauent. in 1. d. 27. 1. p. ar. vn. q. 3. Quoniam verò multipliciter res est per aliquid, nempe vel causaliter, ut aer sole lucidus, vel materialiter, ut paries candore similis, vel formaliter, ut Animal sanitate sancti, nomen abstractum significat, ut id, quo aliquid est formaliter tale: Ad hoc verò duo exigit Capreolus ubi supra, nimirum ut sola, ac tota forma subiectum sit formaliter tale; siue, ut idem vno verbo clariùs dicatur, ut sit forma, quo ad æquate constituitur subiectum inesse concreto: ad quod requiritur, ut subiectum non contineat plus, vel minus, quæ accipiat à forma, ut se habet humanitas ad hominem: nam sola humanitas, non verò forma alia in ea minimè inclusa concurrat ad constitutionem formalem hominis: cōcurrit item tota humanitas ad eundem effectum formalem, quoniam nihil est in ipsa, quod non concurrat saltem partialiter ad constituendum formaliter hominem: quod cōuenit alijs formis: nam animalitas, & rationalitas seorsim superte partialiter sunt id, quo homo est, non tamen vnaquæque per se sola:

Capreol.

S. Thom.
S. Bonauent.

II.

IV.

S. Thom.

S. Bonauent.

S. Thom.

Capreol.

Formaliter
Causaliter